



9



DISCIPLINÆ PALLADIÆ

PARENTELA

SEU

EX

Militiæ armatæ ac togatæ

PARALLELIS

PARATA DISSERTATIO

PRO

*Reducenda & stabilienda liberali Disciplina
in Academiis.*

HABITA

In publico confessu, quùm leges

Academiæ & Privilegium à Serenissimo Electore

Brandenburgico, &c. Ungaris ac Dacis studiorum causâ Athenas

Marchiacas incolentibus clementissimè concessum,

recitarentur ac publicarentur.

AUCTORE

CYR. HERDESIANO, J. U. D.

& Profefs. Publ. p. t. Academiæ

RECTORE

Francofurti ad Oderam.

M. DC. XXII.

Literis HARTMANNIANIS.

Impensis

MARTINI GUTHS / BIBLIOPOLÆ.

66.

*Illustrissimis ac florentissimis Principibus
ac Dominis,*

DN. GEORGIO

DN. LUDOVICO

DN. RUDOLPHO

Fratribus Germanis

Ducibus Lignicensium & Bregensium

Dominis meis gratiosiss.

S. & S.

CYR. HERDESIANUS D.



Rustra sim, opinor, Principum spes cel-
sissima, si faventiæ ac meritis, quib. cum
vosmet tum maximè illustrissimus ve-
ster Parens Dux Lignicensium ac Bre-
gensium eminentissimus, Dominus me-
us clemētissimus, pascim me decoravit,
recensendis intenderem curatiùs; Tan-
ta quippe ea sunt, ut illius Celsitudini &
Vestris, me addictum uluò fatear, immò mecum universa
hæc Academia, quam non modò augusta præsentia hucul-
que honoratis, sed & in eandem nuper illustri munificentiâ
effusâ satis ostendit Genitor vester gloriols. sibi Academiam
hancce & Professores in eâ esse validè commendatos.

Cogitanti itaque mihi, quo officii genere tantis favori-
bus ac gratiis summitterem, in devotæ mentis arrhabonem
aliud

aliud se obtulit nihil negotiorum mole presso, quàm hæc de
togatæ armatæque militiæ parallelis promulsis, digna, si non
ex scribitione meâ, saltem ex materiæ præstantiâ, vestris sta-
tionibus & in utramque paratis ingeniis; sine toga enim fero-
cit sagum, hoc est, literis mollescunt arma; adeoque vobis,
Principum trias, moderator contigit, qui natus cœloque de-
stinatus Principali formandæ ætati, firmandoque semini Hé-
roum in semita Pietatis atque virtutis; *PETRUS* ajo de Sebot-
tendorff, vir, super cujus nobilitate æquè sanguen antiquum
gloriatu ac Virtutum cohors; cui tam honorum Principes
rectè informare, quàm naturale Parentibus eos formasse vel
genuisse;

Quod enim de Arsenio, Theodosij Cælaris liberis in-
formandis admoto legitur, quod liberali educatione patris
illis loco fuerit; Imperator enim illum, ne quem ex imperii
sublimitate conciperet metum, sed illis potius, ut servis utere-
tur, admonuerat, tantum verò ut id ille fecerit, abest, ut insig-
ni modestâ & moderatione diversum potius fecerit. Et
quum derepentè Theodosius ad eos aliquando venisset, Ar-
senium inter docendum eis adstantem reperit. Qua de causa
Cæsar indignatus, cum illos insignibus Principalibus nudavit
verè illud Imperiale verbum protulit, si tales se præbituri es-
sent filii, ut mores vitamque suam ad disciplinam & leges
Dei componerent, propensum & illum fore, uti eis imperium
in manus tradat ad civium & subditorum commodum ac u-
tilitatem accommodatum, sin minus, conducibilius eis esse
dixit, ut privati vitam exigerent, quam doctrinâ nullâ

cum periculo imperarent. Eadem optimi Theodosij vestigia
presserunt quivis cordatiores Principes, inter quos aliquot
SEBOTTENDORFII vestri moderamini spem & munimenta
domuum suarum, Filios, commiserunt; Ex quibus sobrinus
vester fuit, immò vivit memorandus futuris seculis *FRID:*
MAURITIUS Princeps Anhaltinus, qui vix decem natus an-
nos Puer mortuus, ad exemplum vobis & omni Principum
soboli proponendus senex vivus, divusque, cujus virtutes &
augusta gesta nemo gravius, nemo lectius commendare po-
steritati potuit, quam Jac. Lectius J. C. & antecessor apud Ge-
nevenles, dum in vivis erat, amplissimus, amicus & hospes
quondam mihi in biennium lectissimus, cujusque opera pri-
mum ego Anno 1608. in Sebottendorffij amicitiam ad Le-
manum admiffus sum, in lacrymis Anhaltinis, quas pridem
lux adspexit. Nihil edicam de aliis; loquitur Gallia, memorat
cum Venetis Germania, Principes Sebottendorffij virtute
formatos in publicos usus; Vos enim Principes præsentes ad-
estis, qui ejusdem ductu auspicioque in virtutum campo te-
nerrimâ hac ætate exerciti in vestri admirationem abripitis
cunctos, eoque magis, quòd in togata militia tam acres vos
& alacres exhibeatis vestri cultoribus & spectatoribus; Id
quum mihi è privatis vestris colloquiis & præclaris actioni-
bus sæpiùs contigit cum stupore audiisse, vidisse, cognovisse;
hanc de paralelis utriusque militiae dissertationem inscribe-
re illustrissimis vestris nominibus non absolum putavi, ut
vobis à primis statim annis in Academia agentibus ex com-
para

paratione artis & Martis cognoscere liceret, illum demum
Principem ad gloriae apicem perventurum, qui, ut Poeta ait,

Αμφοτέρων βασιλεύς αγαθός κρατερός τ' αἰχμητής.

Hoc dum vobis ex animo voveo, & Deum supplex oro, quò
Vos Reipub. Ipem ac munimenta inter metus & motus tam
scævos tueatur incolumes, rogo submissè, ut hanc operam
meam benignissimis frontibus ex animis suscipiatis. Valete

Augustæ Spei Principes & togatæ, armatæque militiæ vi-
ros vos ducesque comprobate ambi dextros. Francof.

Viadrin. E mulsæo Idib. Sept. 1622.

Sequitur Intimatio publicè adfixa.

RECTOR

ACADEMIÆ FRANCOFURTANÆ

CYR. HERDESIANUS J. V. D.

& Prof. Publ.



*Um in Senatu Romano de luxu coercendo a-
gitaretur, nec ei mediocribus remediis resisti
posse videretur, Patres consulti integrum id
negocium ad Principem distulerant; sed Tibe-
rius, ait historiae Augustæ scriptor, sæpè apud
se pensitatio, an coerceri tam profusæ cupidines
possent: Num coercitio plus damni in rempubl. ferret, quàm indei-
corum ad tractare, quod non obtineretur, vel retentum ignomi-
niam & infamiam posceret: Postremò literas ad Senatum compos-
uit, quarum sententia non ultima linea fuit; potius esse prævalida*

A 3

ε

Et adulta vitia omittere, quàm hoc assequi, ut palam fieret, quibus flagitiis impares essemus. Deprehendimus, proh-dolor! nostris quoque moribus tam exulceratis, idem ferè contingere ex Imperantium censu etiam sapientioribus, quorum legibus maximè sumptuariis, atq; nummariis ortus penè idem cum occasu, ut cordatis nihil difficilius, ne dicam periculosius sit, quàm in gravescenti hominum malitia obviare.

Quæ enim lex sat arta gula modum statuisse? quis avarissimam stellionum monet ariorum, qui hujus seculi partem tam fœdè infestant, nequitiam comprimere hucusq; efficacius novit? quis habituum et conviviorum luxum, quæ agræ civitatis indicia dicit Cordubensis Suada, cohibere qui vit curatius? Namq; cerdones æquo et bliteos cernimus se vestire modo, quo utriusq; in toga sagæ nobilitatis insignitos decore; Scilicet non virtutibus amplius hæc metitur depravatus ac in barbariem pandus hominum genius; sed numis æquè Numinis ex sortibus atq; νόμων. Quid? quod mutuū parendi imperandiq; ordinem non parū corrumpit, dicam ne? evertit tam frigida τῆς ἀγάτης inter Christianos, quæ D. Paulo ad Ephesios teste, ὑπερβάλλουσα τῆς γνώσεως, ac Isidoro Pelusiota, ἰσοδυναμίας θεῷ περιστάσεως ὡς ἀγάπη, exercitio; sicut enim illa fundamentum est bonæ mentis, omnisq; virtutis, sic neglectus ejusdem ὑπέρτερα νετέρα θήσθ. Et ut duce caritate calcare possimus heroicâ altitudine quicquid in hac vitæ orbita ingeritur malorum; ita eadem frigescente vel omnino exulante in imbelles formamur, fastuosos, in carnem projectos, et quicquid ei earum, sanctiori deforme auræ. Unde velut ex equo Trojano prorumpunt varij generis vitia, maximè bonarum legum contemptus, vaga vivendi libertas, ac licentia discipli-

na impatiens : It aut, quod Alexander Severus Imperator apud
Lampridium verissime ad suos milites edicebat, disciplina majorum
rempub. (tam literariam quam civilem pacis ac belli tempore)
teneat, qua si dilabatur & nomen Romanum & Imperium
(vel si malumus in Academia loqui & nomen literatorum & im-
perium hoc est munia magistratus) amissuri simus, Dicit enim vix
potest, quanta hodie protervia & malitia velo literarum & vite
Academica, de aliis enim ordinibus jus quarendi vel querendi
jam non sumo) obtegatur, ut censor quidam in publice edito scri-
pto Academiam definiturus nostram etate, eam omnis Licentia
scholam appellare non rubeat; plerique sane doctrina ore tenus ex-
erciti, animum bonis artibus non induerunt; Studiosi omnes sat a-
gunt vocari, sed plurimi vel ex veteranis, pœnalibus cotidie scopu-
lis impingunt, noxiis potandi, convitiandi, otandi, digladiandi ac
efflictim bachandi legibus implicati, sed & implacati obsequiorum
extorres fadè misereque plurimum pereunt. Studiorum quidem
causa ad Academies singuli ablegantur, sed paucissimi sunt, qui
illa cen verè ἐργαστοῖς πράξεσσι anteponant, plerique ἀυλοδι-
δαστοι inter parietes conclusi privatos auditoria publicarum
adeunt, Professoribus, qui à profitendo, docendoque nomen ac offi-
cium fortiuntur, parum addicti, satis questus ex Lycæis se relatu-
ros aut amantes, si questionarij vel aliquali questionum controversi-
siarum notitiâ, fundamentis nec dum bene jactis, imbuti, aliud
nihil, quam controversias postea jurgia in Ecclesiam, in forum
scholasque cum publicæ rei exitio protrudunt. Nec ignoramus à sa-
nioribus incusari ista ac modum posci, sed & à proclivioribus ad
sequiora, si legem sanciat, pœnas indicat, magistratum ex templo
rigoris, novitatis ac severitatis accusari: cujusmodi callidissimum

disimulandi magistrum, Tiberium non latuerunt, quum prævali-
da vitia sub justitiâ, quàm justitiæ canonem componere maluit, imò
hoc prospexit, ut Romanos in omni genere luxus citra pœna me-
tum, rei publicæ motum eluxatos ac enervatos facilius compri-
meret & jugo tyrannidis submitteret: Verum enim verò nec illud
adfectamus, nec hoc è schola Tiberiana egeßimus: vel in publicum
ingeremus: Pietatis nos perculit stimulus: cœlestis ira, quæ in or-
bem se effundit tot efferatis Mavorte gentibus, quæq; in hac urbe
nuper tot strages in exemplum editæ, cum metu memoria; Disci-
plinæ tam licentiosè prostitutæ reparatio: Electoralis hujus Aca-
demie decus: Honora viadro studiosæ juventutis frequentia ex o-
mnibus Europæ oris, si eas, quæ trans Alpes Pyrenæos & Rhenum
sunt, excipias, composita; Eiusdemq; spes, solamen ac utilitas; In-
docentibus item conscientie ac officij vis & deniq; reipub. quæ lex
ultima esse debet, salus: Tanti hæc omnia sunt momenti, quæ nos
monent, ut in obsequiosum statutorum & legum Academicarum
robur atq; vim intenti, et si serò seriò tamen earum memoriã civiũ
Academicorũ animis ingeramus. Quã ob rem ex more recepto, Se-
natusq; decreto, proximũ diem Saturni solenni legũ & statutorũ no-
strorũ recitationi, & quæ accessit, nuperrimè à Serenitate Electora-
li cõcessæ Ungariæ & Daciæ in hac Academiã studiorũ causa nũc &
olim degentib. ab onere scholasticæ, quã vocat, depositionis immuni-
tatis ac privilegij promulgationi, præmissa præliminari oratione,
in majori auditorio hora octava matutina destinavimus: Cui tam-
docentes, quã discētes, quotquot jurisjurandi datæq; dextera reli-
gio curæ, frequentes ut intersint, enixus rogo, hortor, jubeo. Bene-
valete. P. P. Anno ∞ 100 XXII. XXIIIX. Julij.

Conspicui v̄nerānda & amplissima dignitate
Academiae Proceres, tuq; togatae militiae
Hos lectissime. Quod Alexander Severus
non minus verè, quàm severè ad suos edice-
bat milites; Disciplinam majorum rempubl. tenē-
re, quæ si delabatur, & nomen Romanum & Impe-
rium amissum iri; id extra sagum de togata juxtà
Pacis Lacinia prudentes intelligunt: Sicut enim fe-
rociente Marte, nec sub legum disciplinaq; vexillo
coactis militibus, depopulationibus cuncta patent,
urbes excinduntur, loca sacra cum profanis vastan-
tur, libidinibus omnia lædantur, fame plurimi e-
necantur; Brevis, suprema imis, humana divi-
nis miscentur, nec discriminis amplius inter hone-
stum ac turpe vestigia pro!super sunt; Ita, quod gra-
viter ferendum, obtentu veloq; justitiæ & Religi-
onis nobis ipsis sæpè mutuo metu, motuq; graves
sumus, opprimit alter ac persequitur alterum; Quid
aliud in œconomia uxores maritis, maritos uxo-
ribus, liberos parentibus, parentes liberis, servis do-
minos & mutua vice dominis servos vel subditos
refractarios reddit? Quàm disciplinæ prævaricatio.
Nihil ad ulteris aliud, fœdisq; caloribus fomitem
admoveret, quàm disciplinæ, quæ legis Juliae vim so-
pivit, laxitas. In Ecclesia tot litigia, tot exulce-
rationes animorum, dissidia Religionis & Regio-

B

uss

nis pestes nihil invexit aliud, quàm disciplinæ ruptio, quàm æstus ambitionis, in cujus sinu tam sva-
ter dormit sacerdos, ait Cyprianus, quàm contra-
dicendi, quo tam ferax hæc æra, quàm concordia,
caritatisq; sterilis, cacoëthes? Respectum & aucto-
ritatē vel inter Protestantes Ecclesiæ Ministros quos-
dā imminuit nihil aliud, quàm disciplinæ neglectus?
Nec enim inficias mecū ibunt rerū periti, disciplinā
confessionis auricularis vi fultam in Papatu tam
arctè Clero servatam inter alia effecisse, quò Laici
omnes à magnatib; ad infimæ sortis homines jugis
obedientiæ vel in hunc ordinē metū cancellis con-
cludantur; Sicut vice versa de disciplinæ laxamento
ipsius Cleri & Ecclesiasticorum in eodem vel in al-
ma, si DIs placet, urbe multa edici quirent, nisi lip-
pis & tonsoribus jam dudum in notuissent & illius
restitutioni bona scilicet & devota gens plurimum
surdas præberet aures: Quid? quod idem Politicum
quoq; statum non parum infestavit; ubi inter alia
hæc disciplinæ raritas annonæ, quæ enervamur, ca-
ritatem induxit; probam monetam è loculis sim-
pliciorum, locisq; publicis eduxit; subditos ab obe-
dientiæ & fidelitatis gyro abduxit, novatores & e-
motores Rerum pub. seduxit. Hoc malum etiam
in Academias penetravit, ut eæ, pietatis, bonarum
artium ac virtutis emporia, in petulantia & effrenis
nis

nis licentiæ theatra degeneraturæ sint, nisi in tem-
pore labentium ruinis occurratur, & scholarū de-
cus reparetur. Aliàs mali hujus abarcendi curam
negligentes seductores dicentur potius, quàm Do-
ctores; & supremū magistratum, Deumq; experi-
emur, quam vis lento gradu, severum tamen judi-
cem & vindicem. Quamobrem, quod statuta
Academiæ à Reçtoribus exposcunt; disciplinæ cu-
stodiendæ munimentum jubet; legum observatio
& intemerata auctoritas flagitat, ad statutorum no-
strorum recitationem nos antequam conferamus,
utriusq; tam armatæ, quàm togatæ militiæ paralle-
lis formabo ante & informabo in recta disciplinæ
orbita studiosos, literatos Academiæ milites. Qui-
bus aures cum animo benignas attenti ut intenda-
tis, obnixus oro; Et primò quidem nemo diffite-
bitur, nisi cui pro corde fiet, aut quem glau-
coma affectuum abripiat, causæ bonitatem, ceu
fundamentum belli & caput bonæ spei esse, quod
bellatores ad triumphales perducatur terras.

Causæ bo-
nitas be-
ligerendi.

Frangit (enim) & attolit vires in milite causa,

Quæ nisi iusta subest, excutit arma pudor.

Et, ἔδεις στρατεύσας ἄδικα σῶς ἦλθεν παλιν.

In togatis æquè exposcitur, ut causam in literato
bello aliam sibi non supponant, quàm gloriam Dei
& Reipubl. salutem; alioquin sicut ex illis maximū

B 2

discri-

Firmamen-
ta belli,

discrimen Reipub. impendit, cum non publica tranquillitas & pax, quam' poscimus omnes, sed aurū & opes tam in capite ducibusq; vel cæteris gregariis militibus præcipua bellorum causa; ita qui ex studiosorum censu tantum divitias sibi & numos colligere proponunt, toto palant cælo, & nunquam ad veram & tranquillam studiosorum metam pertinent, nec Reipub. sed sibi & cupiditatibus privatis vivere malunt. Bona causa præviâ ceu cynosura ac censura actionum, ipsi bello alacrius iucumbendum, cuiusmodi duo non tam formant quàm firmant.

Apparatus & Viri.

Illum componunt pecunia, commeatus, arma, Quemadmodum enim medici negant sine nervis homines ambulare posse, ita nec bellum uspiam sine armis geritur;

Pecunia.

Sanè in opiâ & pauperie studia plerumq; atteruntur, & quod optimus Fredericus Imp. probè notavit & novit inceleberrima authentica Habita; Quis enim eorum non misereatur, ait, qui amore scientiæ exules facti de divitibus pauperes semet ipsos exinaniunt vitâ suâ multis periculis exponunt &c.

Et, haud facilè emergunt quorum virtutibus obstat Res angusta domi.

Verum enim verò ut fortior miles è confragrofo venit, sequior est urbanus ac verna; ita pauperū filii

filiis egestate compulsi acrius ad literarum fastigia
tendunt, quam opibus ac commoditatibus effluentes;
Est enim virtutum parens & alitrix *ἀνδρεία μετ' εὐσε-*
βείας à Spiritu Sancto nobis incultata, qua duce in-
cedentes scopulos superbiæ, ignaviæ, luxus, otii
& petulantiaè facile declinare poterunt, sicut contra
experientia testatur, pecuniis graves studiosos
plerumq; corumpi & à vero virtutis & obsequii tra-
mite deviare. Sunt tamen pauperibus & alia in
Academiis subsidia, nam, ut de Pontificiis nihil
dicamus, è Protestantibus Principes & Magnates
stipendia vel è bonis Ecclesiasticis eruta in egenos
adolescentes piis studiorum causis ad dictos eroga-
re nec dum desistunt; Fateor equidem commiserati-
one dignos è grege nostro, qui exulcerata hac æra
& penè æreâ ætate, monetariis stellionibus cuncta
detur pantibus, ne dicam turbantibus, loco 40. ta-
lerorū annuo stipendio vix quatuor in sui sustenta-
tionem accipere. O tempora! ò mores! sed si for-
tis demum ille animus qui in ipsa rerum difficulta-
te crescit, næ vestros paulum animos ita componi-
te, quò dabit Deus his quoq; finem:

Deinde ut disciplinam nequit servare jejunos Annona
miles annonæ defectu;

Ita nec idem in togâ vel Scholis; Prospexit cum pri-

B 3

mis.

mis, quibus cum egestate certamen, studiosis, sereniss. Elector Brandenburgicus D. N. C. L. de communi mensa, vel hac malitiosâ annonæ caritate, ut in hebdomada vix ultra iv. grossos probæ monetæ de suo expendere opus habeant singula capita; quæ admodum ditiores in lautiorum victum penes Professores vel primarios cives ultra 16. & 18. non erogant, quanquam necessitas fateri nos adigat, de rioco illorum miserè jam ludi, qui stipendiis vel salariis olim numo probo constitutis in minutiorum conversis se suosq; sustentare sunt adstricti.

Ad faciliorem annonæ viam spectat, ut Academia in fertilibus & opimis arvis exstruantur, cujusmodi in Italia Bononiam matrem illam studiorum vulgò grassam dictam & Patavium in Insubriis, Senas in Tulsia vi dimus: Aurelianam, Bituricensem, Andegavensem & Pictaviensem in Galliis; in Britannia majori Oxoniensem; apud Hispanos ad Boetium Hispalensem; In Teutonia Eidelbergensem, Argentoratensem Tubingensem, Ingolstadiensem; Et hanc nostram quis non adeat, colat, aliisque omnibus præferat? quod tam in amonissimo ad Viadrû ad montes, nemora, ad vineas, hortos & prata paratissima loco posita sit, quàm fertilissimis arvis imposita, aeri saluberrimo exposita, virisque clarissimis composita; Ne dicam quòd in multis
Euro-

Europæ Lycais, ne studiosorum vel Magistrorum manus annonæ defectu vrgeretur, Principalibus beneficiis effectum fuit, ut minoris in foro emerent annonam, quam vulgò Laici.

Arma loco posuimus tertio; sicut enim Respu.^{Arma,} blica benè composita armamentarium habere debet, in quo procerto Equitum petidumq; numero tela, enses, hastæ, machinæ & alia Marti deuota instrumenta adservantur;

Sic in Academiis florentioribus non modò diuersa auditoria, sed etiam Bibliothecæ habentur vel haberi debent instructissimæ cunctarum disciplinarum libris, ad quos cui vis tam ex docentibus quam discipulis patet accessus; Cuiusmodi celebrantur penes remotos Britannos, Oxoniensis; ad Ligerim Aureliana; in Batavis Lugdunensis; Romæ Vaticana, Patavina & Senensis pro usu Germanorum in Italia; Jenensis ad Salam, Myrtellensis ad Nicrum & si quæ aliæ: Adest & heic Bibliotheca, cuius usus brevi fortean luculentior fiet omnibus nemoq; opinor, tam dirus erit, seu durus è Professoribus; qui industrio, qui fideli studioso Bibliothecæ suæ usum sit denegaturus, Notandum tamè quod uti militi pauca & probata conveniunt arma, ita studiosus non è multis, sed bonis ac necessariis cotidie doctior evadit libris; Esto Theologiæ ad-

dictis

dictis familiaris sacer Codex: Jurisprudentiæ Justi-
nianæa moles; Medicinæ Galenus & Hippocrates,
Philosophiæ Sagirites; Oratoribus Tullius, Poetis
Maro: Fugiant angue peius & cane libros fœdis
amoribus turpibusq; fabulis refertos, cujusmodi
principem tenet locum Amadisius, vel præstantissi-
mi Nouæi testimonio, lues ac pernicies juventæ.
Parent sibi singuli in singulis disciplinis locos com-
munes, quibus ceu subsidio memoriæ, rerumq; pe-
nu utantur.

**Viri seu Mi-
lites.**

Pedites.

Facto sic apparatu sidera milites ipsi in concionem
veniunt: quorum in utroq; genere pedites sunt &
Equites non tam Equis, quam sanguine & prolapia
æstimandi; Et sicut priscis magis necessarii Rei-
pub. judicabantur pedites quod possent ubiq; pro-
desse, Equites verò non æquè:

Sic, ut ad togatos applicemus idem, plures è ci-
vium plebeiorumq; tribu ad tiaras & aras pervenisse
quàm ex Equestri, testatur experientia; Heroum
filii, prisco verbo, noxæ, cum plerumq; majorum
imaginibus ac divitiis innixi multum à recto vir-
tis ac eruditionis tramite deflectant.

Fatebitur mecum extra sagum toga in uni-
versum, plus penes peditem esse roboris si Equi-
tes juxta aptè instructi sint & locati; Idem di-
cere possumus, si in Academiis ac auditoriis

non minùs se notos nobiles probant, quàm virtutinos ac industriæ, quàm quos genus fecit ignobiles, virtus sola nobilitat; Quamvis non obscurum sit, etiam generoso extractos sanguine Republicæ summa cum laude literarum ope præfuisse, & passim adhuc vel in Electorali Brandeb. aula prodesse.

Peccant insuper in hoc literario campo graviter ex Equestri ordine quidam, qui adipiscendæ præbendæ aut canonicatus causa in Academiis perperam & eo fine vivunt, ut triennium suum absolvant, solliciti parum de lecturis aut studiorum meta; Sunt tamen & hujusmodi togæ decori, quæ cancellos modestiæ non excedunt.

Porrò sicut in conflictu non tam multitudo quàm virtus juvat, & in multis legionibus pauci sunt qui prælio profligunt: Id concinnius dicitur de cœtu Academico, qui in oculis vulgi tum demum clarus, si multus, si frequens in plateis, prodigus, luxurians ac versicolor, quanquam ignaviæ vagæque licentiæ deditus; Verùm sapientibus illa demum academiarum frequentia probatur, quæ juxta pietatis normam ad honestos mores ac indefessum studium bonarum artium se componit, quæ religioni sibi ducit, sumtus & maximè tempus velut omnium rerum preciosissimum in casu

C

sum

sum insumere, nec ex iis constet, qui magnam virtutem academicam partem transigunt nihil agendo, majorem male agendo, maximam aliud agendo. Brevis, qui quaerendis caelestibus, terrena subternunt feliciores.

Quid? si multi sint milites si pauci, in amborum castris delectus negligi non debet, qui quinque praecipue notis distinguitur; Ex patria, aetate, corpore, animo, vita.

Patria.

Patriam quod attinet, novimus vel edocti Cantonis oraculo ex agricolis veluti assuetis laborum & viros fortissimos & strenuissimos milites gigni, aliasque gentes alius & animosiores & fortiores celebrari; Quae ingeniorum differentia licet in Palladiis etiam castris sibi locum vendicet, attamen, cum virtus nulli praclusa omnes admittat, non minus extrariis, quam Teutonibus nulla infamiae macula notatis Mularum & Academiae fores patent.

Germanorum, Hispanorum & Helvetiorum peditatus praevalet; uti Gallorum equitatus; sicut isti ingenio alacres & acres primo sunt impetu; sic illi natura cunctatores, & rebus sermo partis ferendis intentiores.

Aetas.

Nota altera aetatis est, de qua quod Martis pulli statuunt, neque longitudinem aetatis aut annorum

norum numerum artem bellicam tradere, sed cō-
tinuam exercitationis meditationem; In idem pe-
dibus manibusq; eunt Atheni omnes, quanquam
multò facilius sit ad virtutem iustruere & obsequii
vinculis constringere novos milites, quàm vetera-
nos vel adultos. Sicut ergo in Academiis fungi ad-
instar sunt tyrones, qui uno eodemque anno plu-
res scholas perlustrant, nullibi pedem certò figen-
tes, ita culpantur, qui cū studiorum suorum cur-
sus absolverunt, academicam libertatem vel po-
tius licentiam certo vitæ statui præferentes sese
Reipublicæ negociis subducunt, nō vitæ sed scho-
læ discentes, qui que satius ducunt nomine magni-
fico literarum vel studiorum segne otium velare,
quàm quò firmiores adversus fortuita Rempubli-
cam capefferent, ut de Helvidio Prisco, constan-
tiæ & rectæ literaturæ exemplo notat Tacitus. Nō
possum circa hanc indicinam silentio involvere
Nationem Hungaricam, quæ ad Academias Ger-
manix passim, & nuper ad hanc nostram aliquot
è popularibus tantis locorum intercapedinibus,
tot periculorum incursum ablegavit studiorū cau-
sa, ætate penè adultos, qui scholis ecclesiæque jam
præfuerunt, ne dicam quos conjugalia aliquando
devinciunt fœdera.

C 2

Unde

Unde Serenissimus Elector Brandenburgicus
D.N. Clementis. genti isti vicinisque Transylva-
nis illustre privilegium impertivit, ut ab onere ac
ludibriis scholasticæ, quam vocant, depositionis,
quam teneræ adolescentium ætati vexationis to-
lerantiori antiquitas constituit, exemplo aliarum
in Germania Academiarum forent immunes; Cu-
jus privilegii publicam recitationem Academia
Notario ex hoc loco instituendam commēdo, ut
illo probè cognito ac intellecto omnes caveant
summoperè, ne Celsitudinis Electoralis privilegi-
um violando prædictos Ungaros ac Transylvanos
ulla in re verbis vel factis offendere aut laceffere
præsumant. Ad ætatis parallelos notabile est, quòd
Romani neminem minorem septendecim annis
militiæ & tyrocinio ascribi voluerunt. Quæ sanè
tyronum militum ætas cum advocatorum ætate
convenit vel Ulpiani testimonio & Nervæ, qui ea
ætate vel paullo majore publicè de jure responsi-
tasse fertur. Sed hodie, pro! de multis dici potest,
quod de Grammatico quodam ex Græco Poeta,
*Mi est cū literulis duodenos pugna per annos,
Tandem inter manes morte senator ago.*
Nec perperam videntur Galli facere, qui filios su-
os ultra biennium academiis non destinant, sed
cum

cum iis ad rostra & ad usum juris properant. Ita
sanè neminem hodie minorem 16. annis ad publi-
cas lectiones admittere fas esset, antequam in tri-
vialibus ludis organicarum artium fundamenta
jecissent, ne ætate infirmiores ad libertatis & licen-
tiæ Academicæ scopulos impingerent. Errant ita-
que, qui jejunis adhuc annis vix primis literarum
fundamentis in trivio probè jactis aut animis sub-
actis licentiæ inhiant; ubi postmodum deficiunt,
nec tam honorant Lycæa quàm onerāt, præsertim
cum in Harpijas incidunt, & eos qui corrumpere
novitios callent; Ideò sapientissimè majores con-
stituerunt, ut hujusmodi adolescentibus privatim
præceptores admoverentur, quò ad publicas lectu-
ras præparati & formati suis studiis consulerent
curatiùs; Nec carent laudibus collegia suis, quæ
privatos habent inspectores, regentes ac præce-
ptores; cuiusmodi in Anglia apud Oxonienses tot
regiis magnificentissimis palatiis & ædificiis con-
dita constant omnibus; Eidelbergæ sapientiæ &
Casimirianum; Tubingæ illustre collegium, &c.
in quibus non novum aut insolens, ut collegiati, i-
ta mihi liceat cum vulgo loqui, vel ex Principum
& vetustæ nobilitatis, ne de aliis verba faciam,
censu, singulis diebus, & aliquando certis tempo-
ribus de studiis suis ac progressibus rationem red-
dant.

dant. Et hoc præcipuum vinculum erit retinendæ
intra honesti orbitam juventæ. Nec remorari de-
bet cordatos, quod depravati mores ex Academiis
fecerint Licentiæ theatra, & militiæ, non in rei fo-
rensis sed ensis plerumque usum, simulacra, adeo-
que ludibrio habere occipiât hujusmodi salubres
inspectiones ac repetitiones, tanquam Licentiatis
istis indignas; Profectò, nisi Deus cum pace stabi-
li in melius mores reformabit per magistratum,
turpe paullo post erit adire auditoria; novique e-
go aliquando vappas, quibus despectui fuerunt,
qui lectionibus publicis seriò incubuerunt; Hæc
impios! & perjuros! qui jurisjurandi religione, qua
professoribus obedientiam ac reverentiam, quæ
magna parte ex frequentatione lectionum con-
spicitur, jurarunt, spreta, se in præcipitia errorum
ac pestiferæ præsumtionis spontè conjiciunt.

Corpus.

Tertia delectus nota respicit Corpus, cui respectu
delectores quidem debilibus ac pusillis, laborum
patientes, robustos durique corporis anteponunt.
Quo nomine priscis Teutones nostri terrori vel
etiam errori, quod maximè clades ad aquas Sextias
as à Cajo Mario illis inflicta testatur, fuerunt, &
etiam num iidem Gallis & Italis voluptatib. plu-
rimùm immeris præferuntur.

Verùm

Verum ut ut ex iis robur & rubor sanitatis in-
dex studiosis accedit, & gratiam conciliat corpo-
ris venustas ac proceritas; major tamen animis vi-
gor est.

Animus enim acer & præstans & acutus idem
ac versutus invictos efficit viros; ut Tullius in utra-
que militia exercitatus protulit; De Antonio Le-
va præstantissimo Caroli V. Imp. duce bellico le-
gimus, quod, etsi arthriticis tritus doloribus, mul-
torum tamen triumphorum auctor Cæsari suo fu-
erit; Unde de eo scitè Poeta,

*Artibus implicitus cunctis morbo horrida
bella*

Artibus hant ferro gessit & explicuit.

Invictos etiam reddit animos in toga, cum nihil
metuunt nisi malam famam, quibus sudor, labor,
pericula, egestas, aliaque fortunæ ludibria epulis
ac deliciis sunt jucundiora; qui revera studiis & a-
ctionibus comprobant, quod adversus virtutem
hoc possint & calamitates & damna & injuriæ,
quod adversus solem nebula potest; sciunt opti-
mæ notæ milites Athenæi, illi vitæ, illis tempori-
bus, illi loco se natos, ut se firmare discant constan-
tibus exemplis.

Ad vitam pergo; Nam sicut servi aut judiciis ^{Vita}
damnati vitæque infames militiæ extorres erant

(ô utinam

(ô utinam in hodiernis castris ac præfidiis, in quibus plurimum quicquid uspiam corrumpere & corrumpi queat, visitur, idem observaretur) eodem modo ingenuis & liberalibus artibus non nisi ingenuos ac vitæ liberalis, nõ sordidæ ac vilis ad dictos esse cõvenit; Cujus intuitu in hac academia & in aliis probè prospectum est, ut gradus & honores petitori prius de natalibus honestis suis censoribus fidem faciant; Quamvis constet etiam ex nothorum tribu plurimos non tam Marti quàm artibus ingenuis insignes operas navasse, & summos utriusque togæ apices attigisse; quorum Palæottus Cardinalis catalogum in suo de spurii libro recenset. Meminique Senis Tuscorum, & alibi inter extrarios, nothos graduum Academicorum digna adeptione hoc ipso sine alio actu legitimi & natalibus restitui.

Sed ad disciplinam, à cujus vi ac robore, ut à fronte hujus dissertationis statim diximus, manum cum mente intendo.

Ejus præcipua munia sunt, Exercitium, ordo, coercitio, præmia. In omni prælio non tam multitudo & virtus indocta, quàm ars & Exercitium solent præstare victoriam; docet rei militaris scribtor ut antiquus ita præclarus Vegetius; unde
Exercitiũ & exercitus ab exercendo dicitur, In Academiis non

non minorem vim habent exercitia, non quibus
artus, gladios tractando, equos domando, saltan-
do, potando, (quanquam subcisivis horis hone-
stus ac modicus corporis motus Hygiæ non pa-
rùm conducatur) moventur; sed ut artes per con-
versationem liberalem cum privatim tum pu-
blicè lectiones frequentando, differendo, pero-
rando, disputando, nervosè & methodicè non tu-
multuariè & jurgiosè, expoliantur & in succum
post & sanguinem Reipub. convertantur. Quid e-
nim quæso de milite existimandum? qui privatos
tantùm inter parietes cum suis se exercet commi-
litionibus, in publicum non prodit; judicia de se a-
liorùm nō curat, spernit, postponit; Eadē in nostris
militib. ratio, è quib. multi sunt, qui satius ducunt
privatis incubare collegiis, quàm publicis incum-
bere lectionibus; illa negligenda non sunt, sed nec
hæ subterfugiendæ, Privata, inquam, collegia si
rectè sunt instituta, & moderatorem sortiuntur e-
ruditionis non tumultuariæ, sed solidæ sed & mo-
destæ, magnam post se trahunt utilitatem, inter-
dum majorem, quàm publicæ collationes ac dis-
putationes, cujus rationem assignat Johannes Pi-
cus Mirandulanus, Eæ, inquit, disputationes, quæ
animo placido veritatis causa privatis in locis &
se motis arbitris exercètur, prolunt, ut illæ ob sunt

D

plu.

plurimum, quæ ad ostendendam doctrinam & captandam auram popularem publicè habentur; vixque fieri posse putat, quin homines cupidi honoris, ejus, cum quo decertant, infamiam quærât. Sicut autem omnibus in reb. modus est, ita etiam in disputando, præsertim in Theologia, quæ metaphysicis & Logicis subtilitatibus & disputationibus involuta plus habet fastus & ostentationis aliquid, quàm pietatis; Germani nostri prisè potius duxerunt acta Deorum credere, quàm scire; sed hæc alterius sunt disquisitionis.

Deplorandum præterea maximè est, magnâ nostrorum militum partem corpori exercendo curatiùs intendere, quàm animo virtutibus ac doctrina modesta excolèdo, & pugiles, equisones, saltatores ac mimos vel id genus alios plerisque nominè tenè studiosis cariores & clariores esse quàm Professores atq; literarum Magistros; Et puto in literarum contemptum à Gallis hodie loca, ubi Equi domari solent, Academias nuncupari. Ut in castris diversa urgentur pro diversitate officiorum militarium exercitia, alia enim incumbunt gregariis ac calonibus; alia Peditatui, Equitibus alia, alia centurionibus ac tribunis, alia Ducibus ac Imperatoribus; Sic in togatis idem observare licet; alia enim literarum ac studiorum metho-
dus

us ac via decet illustriorū larium pubem, quam
ad imperandi leges fata destināt, alia eos, quos ob-
sequii votum obnoxios Imperantibus fecit; Illam
siquidem Grammaticorum ac philosophorum
exactae regulæ & argutiæ, Jctorū variæ opiniones
ac subtilitates, Theologorum profunditates ac de
arcanis sacrorum abstrusiores disquisitiones, pa-
rumper juvabunt; Ideoque post Pietatis studia,
quæ reliquis ceu fundamenta vel in Principe ma-
ximè substerni debent, Linguae latinæ cum patriæ
vel maternæ præcipuo cultu, usu magis quàm
præceptis, addicenda, ut non modò illius no-
ticiâ facilius exoticas imbibere pereger Princeps
sit potis, sed etiam Eloquentiæ gloria parta sibi a-
pud suos & extraneos conciliet auctoritatem; Ut
itaque perorando aliquando publicè sese exerce-
at, non indecorum immò præcipuum huic cul-
mini, Testes tot Imperatores ac Principes, qui
lingua plures vicerunt, quam armis,

Cedant ista togis, concedat laurea lingua.

Ex innumeris Germanicus ille ex domo Augusta
Cæsaris filius ac nepos non modò Oratorum sui
temporis primus, & ad rostra facundiæ laudem
tulit, sed etiam gloria bellica vel contra Germa-
nos Romani nominis & Tiberii famam augu-
stam protulit & auxit; sed nec ideo hanc adorem

D 2

pluris

pluris fecit ea quam lingua ac literis sibi com-
parasset, ut post fata etiam Cæsar ac vidua illius ef-
figiem inter claros Oratores, quam Duces belli-
cos ac Imperatores maluerint collocare; Mani-
bus itaque ac pedibus in eloquentiæ castris Pubes
Principalis exercitanda erit; Verum ut manca ac
sterilis illa sine Historia veluti Magistra rerum &
temporū teste; Idcirco eo curatiùs illi incūbet, &
ad R. ei cū publicæ tūm privatæ usum vel exemplo
D. Augusti exempla ac præcepta benè imperandi
sibi colliget; Subjungi poterit huic Jurisprudencia,
quatenus non antiquis, sed præsentibus accom-
modatur moribus; Quibus si amplissimā Mathe-
maticum, quorum in bello non vilis est auctoritas
& usus, disciplinam subnectet, minimè palabit.
Summā, Principem, præter salutis ac regnandi
artem, hoc est, politicam historicam, in omni sci-
bili universalia novisse, præcipuum ducunt etiam
nostra tempora, vel juxta Celticum, un homme
mes lé c'est un honeste homme, qui mixta vel va-
ria rerum scientia callet demum honestus cen-
setur; Verum his missis ad alia pergemus.

Ordo.

In ordine constituendo major requiritur cu-
ra ac solertia, tam in Bellonæ, quàm Phæbi ca-
stris; Imperium ducis simul omnes copiæ sentiūt;
Rectori in Lycæis omnes tam docentes quàm
discen-

discipulis obedientiae & reverentiae vinculo sunt
obstricti, unde pulcherrima hic ex junctura capitis
& membrorum conjunctione resultat Harmonia,
Ordo etiam inter studiosos, non tam discen-
do quam vivendo omnino necessarius est, de illo
dixi alio tempore & loco; circa istum opera danda
est, ut sicut ex praescripto Onolandi Strategetici,
prudentis Imperatoris est ordines ita disponere,
ut fratres cum fratribus, amici cum amicis una
sint, quum enim qui in discrimine versatur proximus
illi est, a quo diligitur, tunc necessario evenit
amicum pro amici salute audacius de pugnare, id
quod praeter Graecos observarunt olim Romani,
de quibus Alex: ab Alexandro testatur, quod in-
ter eos primum militiae vinculum fuerit sacra-
menti religio, secundum singulorum amor veluti
inexplicabilis nexus, &c.

Teutones nostri per familias & propinqui-
tates cuneis acies instruxerunt, hodieque Hispani
bellis non educati modo, sed ingeniti, nihil sanctius,
quam societates, vulgo camaradas, summo Du-
cis sui emolumento colunt concordes; idem lectus,
idem cibus, etsi solis constet raphanis, vel acetario,
alacres in Martem socios tenet; Eodem mo-
do in castris literarum, in Academiis, milites fra-
terno amore mutuò se colentes eadem studia

per-

pertractare, de iis inter se modestè conferre, doctior ignarum instituere, alter alterum ad sequiora forte an lapsum in rectam semitam reducere, & naevos emendare debet. Prædicantur & alia ex causa Iberi, quod Bellonæ tyrones vulgò bisognos arctioribus disciplinæ legibus componant, ut, licet in substantiis habeant auratos gestandi enses & vestes præciolas, de tertio pelo (licet mihi Hispanica voce hic uti) iis tamen ægerimè horum usus conceditur; Sanè non absolum, si adolescentes qui vix limine Academiæ salutaris intra limites modestiæ & submissionis conclusi investitu moderationè adhibeant, nec more veteranorū se licentia quadā cõponant, aut superciliosè extollant. Sed & in scopulos facilè hic impingunt veterani, qui novitios & recens appulso scholares gravius, quàm liberale decet ingenium, excipiunt, duriuscule tractant, & pecuniis emungunt; E quo hodie pro! tanquam ex equo Trajano scandala & mala plurima in Academiis & bonas leges redundant: Quamobrem in mastygas huiusmodi & importunos censors diligenter animadvertendum est; Velinque sciant, non ita pridem paucos ante annos in quadam celebri Galliæ Academia decreto Parlamenti in huiusmodi emunctores & grassatores, qui etiam à peregrinis transfuentibus pecuniam importunè & vi extorquere

non pavebant, laquei poena fuisse animadver-
sum.

ad Succedit ergo Coercitio, qua mores militum
utriusq; fortis compescuntur ac frenantur; uterq;
præ aliis vitæ ordinibus, ut in omnem licentiam
proclivis est, ita lupatis tenendus, nec tamen ut lus
puscum auribus.

Coerci-
tio.

Tria sunt, sine quibus non robur, non ordo
in exercitu, in Academiis, *CONTINENTIA*,
MODESTIA, *ABSTINENTIA*; serva-
bit ante omnia cum armato noster miles *CON-*
TINENTIAM in cibo potu & Venere, ne ef-
fusè poculis, gula, ventrique sint dediti turpissi-
maque corporis parti. Nostis Annibalem indo-
mitum illum nivibus atque Alpibus enervasse fo-
menta Campaniæ, armis vicisse, vitiis victum fu-
isse. Quoties hoc nostris militibus contingit hic
& alibi, ut si quid ingenii, si quid ardoris, si quid
progressuum secum ad Academias attulerint, he-
luationibus, comestationibus ac inhonestis vo-
luptatibus deteratur. Nihil a jam de iis, qui in Ita-
liæ & Galliæ Academiis obtentu studiorum de-
gentes Veneri potius militat & libidinibus; Quos
mores postea tanto cum dedecore damnoq; no-
stræ gentis in patriam reportant & in usum pro-
in vitia pandum protrudunt:

Cōtinen-
tia.

Mode-

Modestia ex verbis, vestibus & factis judica-
tur. Sicuti mali milites, qui in conviviiis & circulis,
cum de hostibus mentio incidit, vix manibus
temperant, sed iidem vix vultum eorum susti-
nent. Nam id eventum semper firmum, ignavissi-
mus quisque & in periculo minimè aulurus nimi-
us verbis, linguaq; ferox: quod vel hoc triennio ad
nauseam experti fuimus, ubi multi hostes sternere
verbis, sed verbera in aeremiverunt sine ictu plu-
rimùm. Bonè Christe! quid aptius comparari
potest, quàm quod plurimi ex nostris militibus
eandem calcant semitam, qui jaçtabundi, ac tur-
gidi vela eruditionis suæ pandunt, hoc ex, ore te-
nustantum literis exerciti bonis artibus animùm
non induerunt. Parum mihi profuerint ex literæ,
quæ Doctoribus ad vitam nihil profuerunt, ex
prisca Pacuvius ait.

Sicut ergo fortissimus in iplo discrimine exer-
citus, ante discrimen modestissimus; ita docti stu-
diosi non nisi tempore & loco oportuno cuius
suorū profectum ac eruditionis, non inter pocula
bucca turgidi specimina exerunt, atque modestè
probant, magisq; doctus prudensque censendus,
qui artem occultat, ita ut in naturam transisse
videatur; Aliter qui faciunt ab eruditione ad Pe-
dantillum declinant, vitæ genus omnibus invi-
lum,

Sum, de quo apud Arrianum Epictetus est intelligendus, cum ait, scholasticum esse animal, quod ab omnibus deridetur; Felicem itaque se prædicavit sapientis. Antoninus Imp. quod cum animum ad Philosophiam adjunxisset, non inciderit in sophistam aliquem, qui aut in scriptoribus desederit, vel in syllogismis dissolvendis doceret, aut meteoris tractandis.

In vestibus, modestia utrinque exigitur; in illis ferro & animis fretus cætrato auro argentoque præfertur; Noster habitu incedere debet honesto, non versicolari instar mimorum & qui theatra pulsant; Honestum ei vile est, cui corpus nimis carum est, neque in alium finem ferè delicatuli illi modum vestiendi excedunt, quam ut suæ prodigalitatis famam prodant, quam ut foeminarum & vanorum in se convertant oculos, quam ut ipsi hoc luxu quasi eluxati impotentes reddantur curæ studiorum extorres; Nihil profectò magis mihi satisfacit in Anglia Lycæis inter externa, quam quod Ducum, comitum, Baronum, nobiliumque & aliorum filii; quibus tam augusta collegia referta sunt, alio non utantur vestitu, quam nigro & quidem sublongis togis Romanorum more. Quibus vestibus facile à tribu levi & vanitatibus obnoxii discernuntur.

In factis Modestia poscitur, ut uterque miles obnoxius sit parisque; suis ducibus ac professoribus; Absint curiosi & refractarii, qui iussa ducum ac præceptorum

E

rum

rum interpretari malunt quàm exequi, qui de uno at-
que altero sinistrè judicant, & discentes in Ducto-
res & Doctores virgulam stringere censoriam non e-
rubescunt; Et hæc præcipua Academicæ Licentiæ
corruptela nostris moribus.

Hanc ponè sequitur Abſtinentia, ut à virapina-
que puras miles habeat manus; Lex quidem milita-
ris armatis ſcripta fuit, nemo pullum alienum rapiat,
ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, ſege-
rem nemo deterat, oleum, ſal, lignum nemo exi-
gat, annona ſua contentus ſit; Sed hæc hodie lapidi di-
cta ſunt, ſed & noſtros eadem attingit; ſtudioſus ſuo
commilitoni libros, veſtes vel pallia, quod ſæpè pœ-
nalibus ſcopulis impingentes factiſſe nondum ob-
ducta memoria eſt oblivione, auferre nefas habeat
vel civibus oppidanis in hortis ac vineis fructus inta-
ctos relinquat, ligna non amoveat; nihil damni cui-
vis inferat.

Pramia.

Sed hæc omnia propter Exempla, quo nomine
præmia ac pœnas, duos rei pub. nervos, vel, ut Demo-
critus loquitur, mundi Deos intelligimus, Eò enim
uterque miles impendit & intendit nervos, ut præ-
mia, unde emolumentum ſperatur vel honos, qui
artes, qui bella nutrit, conſequatur; Apud Romanos
coronam ex gramine, quercu vel lauro textam plu-
ris fecerunt, quam aurum argentumq;. Quidam abò
Hispa-

Hispanos acriores & alacriores ad bella reddit,
quàm certissima laborum præmia, ut ab aratro edu-
ctus æquè ad fastigium dignitatum evehatur, quam
eques aut quivis Hidalgos, seu illustriorum gentium
filius. Nihil Papatum in antiquo splendore pœnè
conservat aliud, quàm quod ex Academiis educti,
etiam quibus pauperius magar, mox tiaris pileisque
rubeis ac aliis dignitatibus insigniantur. Quin etiam
in nostris Academiis præmia in promptu sunt benè
meritis, non modò quæ solemnibus promotionibus
conferuntur; sed & quæ ex testimoniis vitæ ac stu-
diorum diligentibus ac verè studiosis ab Academia
impertitis resultant, sique, quod in Gallia, Italia,
Hispania, Anglia & in Romana Curia, ne dicam de
supremo Imperii tribunali, prudenter observatur;
gradu decorati in officiis & honesto dignitatum ama-
bitu præferrentur; & major graduum dignè suscipi-
endorum cura foret, & ardor studentium conspicua-
tior. Jam pœnis quoque omnino opus est ad coer-
cendam malitiam & insolentiam utriusque firman-
dæ militiæ; In sago sanè mortis pœna mulctabatur,
qui militiam deseruerat vel transfuga fuit; Sed tam
gravi animadversione togatæ militiæ desertores &
transfugæ exempti sunt, vidimus enim etiam nuper
ad nefarium monetarium stellionatum & alias in-
honestas artes aliquos è toga profiluisse. Æquè miles

armatus, qui in bello arma amiserat vel alienaverat, capite plectebatur; Noster miles, si in Bacchi & gulæ gratiam liberos suos alienavit, notâ prorsus vacuus esse non debet.

Denique quàm perniciosa sit utrique indulgentia, non è castris exempla producam, sed ante oculos vestros occurrunt in Academia quotidiana; Gaudet bonus miles, probus studiosus castigatione,

--- Tam diri foederis ictur

Parta quies, pœnaque redit placata juventus; Sed & miscenda est, inquit Gregorius magnus, lenitas cum severitate, faciendumque ex utroque quoddam temperamentum, ut nec multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur; Sit itaque amor, sed non emolliens, sit rigor, sed non exasperans zelus.

Verum hæc de militibus parentibus; Nunc etiam de imperantibus seu ducibus breviter edisserendum foret, Novimus n. in utriusq; militiae Duce tam Ductore, quàm Doctore requiri, ut scientia sit in structus virtute, providentia, auctoritate & fortuna, vel, ut cum Tullio loquamur, cui sit labor in negotio, fortitudo in periculo, industria in agendo, celeritas in conficiendo. Et inter hæc ipsum consilium, quod tertium belligerandi requisitum statuimus

mus

mus suprâ, primâ tenet; Possent inquam & ista ad
virgulam censoriam non minus revocari & extendi,
quàm quæ in parentis militiæ parallelis deduximus:
Sed quia alio tempore de Ductorum & Doctorum
adfini disciplina, usu & abusu dicturi sumus liberè, &
partim ex ipsa Legum Academicarum relecti-
one hæc sese luculenter ostendent, mihi que temporis
ratio est habenda, Leges & statuta jam recitantur,
ut cum iis non dicendi modò, sed & discendi
docendi, ac vitam honestè ducendi
finem assequamur.

AURORA THEMISTIA

H *Aut modus in tenebris, quibus heu! scelus omne patratur
Fur, latroq; latent, mæchus & ipse furit.
Cum jubar emicuit, Solis lucisq; verentur,
Judicium fontes, fur, latro, mæchus abie
Exilit AURORA præstantior aura, vel ora
Extollunt laudes, Christe benigne, tuas
Omne genus pecudum surgit, genus omne volucrum
Aures aurora complet, & ora virum
Excitat agricolas, Musasq; Aurora verendas,
Hæc favet ingenii; hæc fovet ingenios.
Egrederis tali, clarissime Phæbe, cubili
Conserves radiis, quicquid in orbe, tuis.
Non tibi respectus; cuius tua lumina lucent,
Jusq; tenent Jubaris Cræsus & Iru idem.*

Sic etiam stillans, **AURORA THEMISTIA**, rore
 Divino, tenebris saepe sepulta jacet.
 Vis, odium, numi, favor, ignorantia, fraudes,
 Obscurant **THEMIDIS**, limina, rostra, forum.
 His tenebris tenebras fert, hinc furit, urit & illinc
 Improbus; his tenebris lex ratioq; filet.
 Deprivitur justus, viduae temnuntur, & orbi
 Patribus, exsugit vis inimica probos
 Cuncta Deus cernit vindex; afflictio ut index
 Peccati, caelo sic tibi poena venit.
 Sic tua sub tenebris Constantia justa probatur,
 Undiq; quam fraudes, vis petit ac odium.
 Exsurgit Phoebus tandem, Rex ille Deorum,
 Cui supra leges **LEX** patet, atq; greges.
 Quo duce discussa, **AURORA THEMISTIA**, navis.
 Exoritur tenebris intemerata feris.
 Non aura afficitur constans, non ore, nec aure,
 Auriferam nusquam flectitur ille manu.
 Equa colit, punitq; nefas, vim dejicit omnem,
 Tam bene divitibus jura dat, ac inopi.
 Hac tua fulgebit juris cynosura, tuag;
 Justitia & causa cordecoratur honos.
 Sic **TU** Tutela domini servatus, iniqua
 Erumpes tela, telaq; tetra teres.
 Vilis adulantum turbetur turbine turba,
 Exultent reliqui, Juris amore tui.
 Instar qui lauri viruit, vertetur in auram.
 Mox nullus fiet, qui modo totus erat.
 Fidere terrigenis, tenebris fiducia fixa,
 Justitia aurora spes venit, una salus.
JUSTITIA PRINCEPS, civis, Rus, curia florent,
 Mutua prosperitas, mutuum hinc & amor.

BASIS

B A S I S
A U R O R Æ T H E M I S T I Æ

Ex Tertull.

Si a p u d D E U M injuriam deposueris, ultor est;

Si damnum, restitutor;

Si dolorem, medicus;

Si mortem, resuscitator;

U N D E

D O M I N E judica me & causam meam

Quia

T U J U S T I C I Æ A U R O R A

Cui

Nullus personarum respectus

E R G O

in TE

D O M I N E speravi, non confundar in aeternum

Anno

DoMInVS iVV's faClet,

Nunc

iesVS DoMInVS iVV's faClet

M A G D E B U R G I excusa primum typis
Joachimi Boelii.

Sequitur

Historia colloquii & certaminis VESPASIANI
IMP. & HELVIDII PRISCI JC.

de

Libertate votandi & consulendi ex poem.

C. Herdes. Epigr. 30.

H E L V I D I U S p r i s c o P R I S C U S candore fideq;
Juris sacerdos integer,

Qui prece vel pretio nulli jus dixerat unquam.

Aequilancis arbiter,

Maluit ipse mori, quam quovis ladere factio
 Vel ungue conscientiam,
 Hinc aditu exclusus mandato VESPASIANI,
 Gravi Senatus Caesaris
 Tu potius es, mitis retulit, me, maxime Caesar,
 Censu receptum tollere.
 Consulere aut patria pergam, rebusq; caducis,
 Dum cura me urit curia.
 Ingressum indulsit tandem induperator, at altum
 Indixerat silentium.
 Ne mea, respondit, deposcito votata, centem
 Quem jusseris quiescere,
 Immo, Caesar ait, quo prosequor ipse Senatum,
 Honos jubet te interrogem
 Siccine! quod facies causa, induperator, honoris,
 Id conscientia debeo.
 Sed cave depromas verbum ullum PRISCÆ, cruenta
 Tollam Senatu te nece,
 Num me immortalalem, regerit HELVIDIUS, unquam
 Factasse, Caesar, noveris?
 Ut vis, ut jubeas, stet pro ratione voluntas,
 Ut feceris, sic obsequar.
 Me gelida damnes morti tibi prompta potestas
 En! vita, sanguis, en caput!
 Supplicium mortis vincam constantiâ eadem,
 Qua tu potestate uteris
 Vos, quibus impositum juris depromere vires,
 De subditis vim pellere,
 HELVIDII PRISCI vestigia prisca secuti
 Ne conscientiam ladite
 Quin lictum potius lati perferre, remittat
 Quid quam fide de libera.

F I N I S.

ULB Halle
002 677 830

3



56


Nv 1999

(1/69.)

VD 17







ALLADIÆ

66.

E L A

actogata

LELIS

ERTATIO

liberali Disciplina

is.

T A

u, quum leges

Serenissimo Electore

s studiorum causâ Athenas

entissimè concessum,

licaretur.

re

TANO, J. U. D.

t. Academiae

RE

oderam

III.

NNIANIS.

IBLIOPOLÆ.

